Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XXI

urn:nbn:de:bsz:31-97032

Visual Library

CAPUT XXI.
DE IBICE, ICHNEUMONE & IGUANA.

Ex caprarum ſylveſtrium genere ſunt etiam *Ibices* in Alpibus. Natura frigus requirunt, cæcæ alias futuræ. Magni ponderis cornua eis reclinantur ad dorſum, eoque majoris quo grandior procedit ætas. Vetulis viginti circiter in iis nodi increſcunt, & tum ſedecim librarum bina excedunt pondus. Nulla tam aſpera rupes eſt, quam non vincant ſaltu, ſalientium ſi excipere poteſt ungulas, ipſum aſperum parietem ſcandere poſſe, quidam prodidere. Morituros, referunt venatores, rupem conſcendere præaltam, ibi altero ad parietem innixos cornu perpetuo circumire ambitu, donec attrito corruant moribundi. *Geſner. Ichneumon* eſt Ægypti animal cauda oblonga, ſerpentinæ ſimili. *Oppian.* Extra meatum excrementi peculiarem habet pilis obſitum: aperit eum dum urget calor, altero occluſo. Catulos illius ruſtici Alexandriæ in foro vendunt. Nam, quia capiendi mures periti ſunt, educantur. Hoſtilitatem cum Crocodilo gerit; Nam ubi ſomno obſervavit ſopitum, luto obductus fauces ingreditur & ad interiora penetrat, inſeſſoque epate illud exedit, mox proſilit. *Gillius ex Oppiano:* Sed id difficilius *Geſnero* videtur. *Iguana* animal eſt in America amphibium lacerti forma. Pone caput foramina duo piſcium branchias referentia habet, ſub cervice pendulam ad pectus ingluviem. Cor ejus alias ſapida, illis qui lue venerea aliquando laboravere noxia eſt. Recrudeſcit quippe malum licet dudum ſanati fuerint. *De Laet l. 1. Amer. cap. 9.* In capite reperiri lapillos calculi renum præſentiſſima remedia, Ximenius author eſt.

CA-